DISSERTATIO INAVGVRALIS

MEDICO - FORENSIS

EXHIBENS

CRITERIA PARTVS OLIM ENIXI DIAGNOSTICA

QVAM

CONSENSV INCLYTI MEDICORVM ORDINIS

PRO GRADV DOCTORIS

IN

VNIVERSITATE GEORGIA AVGVSTA

RITE CAPESSENDO

D. IVNII MDCCLXXI.

DEFENDET

IOHANNES WILHELMVS MOELLER,

HAMBVRGENSIS.

GOETTINGAE,

IN OFFICINA ACADEMICA NOVA.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRIS

MVNERVM DIGNITATE MERITORVMQVE

GLORIA

FLORENTISSIMIS

ILLVSTRIBVS EXCELLENTISSIMIS

EXPERIENTISSIMIS

CONSVLTISSIMIS ATQVE DOCTISSIMIS

DOMINO

D. IOHANNI PIPER

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DANORVM

REGI

A CONSILIIS REGNI

NEC NON

ARCHIATRO PRIMARIO REGIO

MAECENATI, FAVTORI SVO OPTIMO

SEMPER DEVENERANDO

AVVNCVLO

VSQVE AD EXTREMVM VITAE HALITVM OMNI

PIETATIS CVLTV PROSEQVENDO

NEC NON

DOMINO

IOACHIMO FRIDERICO

BOLTEN

MEDICINAE DOCTORI CELEBERRIMO

PHYSICO

REIPVBLICAE HAMBVRGENSIS

PRIMARIO

PATRONO ATQVE COGNATO

SVO

VSQVE AD CINERES VENERANDO

IN

PERPETVVM OBSERVANTIAE ATQVE GRATI ANIMI

DOCVMENTVM

IN PERENNEM BENEFICIORVM MEMORIAM

IN SVI ET STVDIORVM SVORVM

COMMENDATIONEM

CVM ARDENTISSIMIS SANITATIS ATQVE

OMNIGENAE FELICITATIS

VOTIS

HOCCE SCRIPTVM ACADEMICVM

EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA

CONSECRAT

TANTORVM NOMINVM

OBSERVANTISSIMVS CVLTOR

IOHANNES WILHELMVS MOELLER



DISSERTATIO INAVGVRALIS
MEDICO-FORENSIS
EXHIBENS

CRITERIA PARTVS OLIM ENIXI DIAGNOSTICA.

INSTITVTI RATIO.

Multa quidem ſunt, quae ſororium inter medicinam forenſem et artem obſtetriciam vinculum declarant, vt ſuperfluum aliis videatur plura adiicere argumenta. Eminet autem inter has quaeſtiones obſtetricatori cum medico forenſi commu-

   

nes, ſi iudicis criminalis eſt ſcire, an ſuſpecta quaedam femina pepererit, nec ne. Quodſi enim recens nati inanimes, aut cum aut ſine ſignis violentiae illis inflictae, publicis in locis inueniuntur, Magiſtratus ſolent medicos iubere, ſecundum leges artis inſtituere explorationem earum feminarum, quae ante breue tempus adhuc ſuſpectae fuerant grauiditatis. Poſſet vero neque diſquiſitio rite inſtitui, neque vel innocentia declarari, vel delictum feminae ſuſpectae manifeſtum fieri, niſi exiſterent ſigna, e quibus veritas deduci poſſet. Alia ex his certa ſunt, alia incerta, alia ſatis cognita, alia non. Omnia haec ſigna colligere et veritatem illorum, quantum fieri poteſt, argumentis conſtituere, mihi propoſui. Quo melius id autem fieri poſſit, ſequenti modo agam, vt primo exponam *mutationes genitalium a virginitate vſque ad puerperium;* dein *criteria adducam, quae ex antecedentibus deduci poſſunt et quae nos certiores de partu praegreſſo faciunt.* Hic etiam eſt praedicandi locus, *Excell. Wrisbergium,* Praeceptorem in aeternum deuenerandum, mihi ex illo ſpeciminis inauguralis materiam quaerenti, hanc propoſuiſſe, manusque auxiliatrices ad eandem vlterius perficiendam praebuiſſe. *Cui* pro hoc fauore, multisque aliis in me collocatis beneficiis hic publice gratias ago, quas debeo, maximas, atque in poſterum optime commendatus eſſe volo.

  

Sectio I.

DE STATV GENITALIVM IN VIRGINIBVS CVM ILLIBATIS TVM DEFLORATIS, NEC NON IN GRAVIDIS ET PVERPERIS.

§. 1.

Genitalium externorum in sequiori sexu conditio notabilem patitur per varia vitae stadia mutationem. Aliter enim sese habent, dum puellulae mox in lucem editae fuerunt, breuissimo vaginae canali, crassiusculo vix membranoso et ex ipso vaginae ostio prominente hymene, clitoride grandi et turgidis nymphis instructae; aliter constituta sunt in feminis puberibus, menstruum fluxum iam expertis, sed nec abortum perpessis, nec partum perfectum enixis; aliter tandem in feminis inueniuntur, quae vel semel, vel pluries pepererunt. Quae vero primaria est genitalium mutatio huc praecipue spectans, partus tempore obuenit, optima enixus criteria subministrans.

§. 2.

Appropinquans mensium profluuium, actuosaque in iisdem secernendis feminae natura genitalibus etiam externis alterum mutationis stadium conciliat: Reductus magis intra sinus externi latebras hymen visui sese subducit, non nisi diductis labiis conspiciendus: Angustius etiam in spatium contracta clitoris, nisi climatis solisque feruor aberrationem fecerit, minori

praeputio tegitur: Rugae et plicae vaginales duriusculae erectae vaginae canalem ita coarctant, vt canalem modo possibilem non reuera existentem repraesentare videantur: Vix prominentes, fusisque promontoriis, labiis nempe pudendorum, reclusae nymphae naturali nisu renisuque instructae, arctissimum minimumque vrethrae ostium adhuc magis obturant. Quibus omnibus elegans splendor et roseus harum partium color superaccedit, illibatamque virginitatis primam suspicionem affert.

§. 3.

Iam longis a temporibus plurimis gentibus notum fuisse, quod virginitas non sit hypotheticum quoddam figmentum, sed re vera existat, patet primo ex lege diuina Iudaeis *a*) data, quando neomaritata a marito suo accusatur, perdidisse virginitatis inseparabile signum; dein cum ex moribus et ritibus ante nuptias vsitatis apud Phoenicenses, Armenios, Romanos aliosque, tum ex ceremoniis post nuptias adhuc nostris temporibus apud Hispanos, *b*) Islandos, Russos, *c*) Arabes, *d*) Maroccanos, *e*) Mol-

a) *Deuteron. cap. 22. v. 13-17.*

b) RANCHIN *morb. virg. p. 358.* GELLER. *p. 26.* in libro p.) citato.

c) Rußische Anecdoten. I. Th. 162. omnia vero allata testimonia superat fide et auctoritate delineatio talis ritus nitidissima apud Cel. CHAPPE D'AVTEROCHE *Voyage de Siberie. à Paris 1768.* T. I. P. I, p. 163. Tab. VI.

d) d'Arvieux memoires. T. III. p. 307. Ill. MICHAELIS Fragen an die Arabische Reisegesellschaft. n. 56. 164.

e) *de* ST. OLON *relation de l'empire de Marocco.* p. 86. Samlung aller Reisebeschreibungen. 3 Th. 194.

Moldauienses, *f*) Cosaccos, *g*) Turcas, *h*) aliosque plures consuetis. Attenderunt nempe partim ad impedimentum introductae mentulae in vaginam, partim ad doloris acerbitatem durante illius introductione et ablato impedimento ad profusionem sanguinis ex vagina. An vero illis cognitum fuerit, impedimentum hocce proferri membrana cutanea vasisque impleta sanguiferis aliisque nec ne; de hoc altum est in scriptis silentium.

§. 4.

HIPPOCRATES Cous *i*) iam inter veteres mentionem peculiaris huius membranae facere, eandemque vt signum virginitatis notorium proponere videtur; quam deinde sententiam etiam amplexi sunt multi alii, ex quibus AVICENNAM, *k*) SEVERVM vel SEVERINVM PINAEVM, *l*) et IOH. BAPT. MORGAGNI *m*) nominasse sufficiet. Indubitatam vero hymenis existentiam contra multos aduersarios, qui vel plane eundem negarunt, vti DIONIS *n*) et Cel. BVFFON, *o*) vel dubiosam reddere studuerunt existentiam hymenis, vt PARAEVS,

FA-

f) Cantemirs Beschreibung der Moldau in Vener. Büschings Magazin für die Historie. B. 4. p. 100.

g) LAMBERT. *Recueil.* T. II. p. 284.

h) RVSSEL *natural history of Aleppo.*

i) Si quidem omnino verum est; Hippocratem libri de iis, quae ad virgines spectant, auctorem esse.

k) *in libr. 3. fen. 21. tract. I. cap. I.* in fine dicit: et ante violationem puellae virginis sunt in collo matricis panniculi contexti ex venis et ligamentis subtilibus valde, ortis ex omni parte eius, quos destruxexit violator: et currit, quod in iis est de sanguine.

l) *Opusc. anat. L. I. cap. 5.*

m) *Aduers. anatomic. I. n. 29. p. 39.* edit. Leid. in *4.*

n) *Cours d' operations de Chirurgie.* à Paris 1746. en 8. p. 276.

o) Allgemeine Historie der Nat. 1. Th. 2. B. S. 230.

FABRICIVS AB AQVAPENDENTE aliique, egregie probauit Cel. CAR. GOD. GELLER p). Qui totum agmen diſſentientium hac de re ſcriptorum cognoſcere cupit, vel GELLERI adeat librum, vel Ill. de HALLER q) conſulat, vel notiſſimum diuerſarum ſententiarum collectorem MART. SCHVRIGIVM r) euoluat.

§. 5.

Cum tanti vbique inueniantur de huius membranae determinatione et vſu opinionum diſſenſus, vt fere difficile ſit, certi quid ex praeſentia hymenis ad aſſerendam virginitatem deſumere; attamen hoc, data qualicumque ex hymenis deſcriptione, tentandum eſſe putamus. Eſt autem hymen membrana cuticularis, carnoſa, ſubtiliſſimis ſparſim neruis, arteriis et venis referta, ad introitum vaginae transuerſim inter columnam eius anteriorem et vrethrae oſtium ſita. Figura pro diuerſitate aetatis, vigoris, conſtitutionis feminae et climatis, quo viuit, admodum differt. Mox enim eandem perfecte circularem in demonſtrationibus foetuum et infantum vidimus juniorum, quam conformationem etiam in multis adultis inuiolatis ſeruat: Mox cornicularis dimidiae lunae inſtar ex latiore parte poſteriore, cornua ſua verſus columnam vaginae anteriorem dirigit, quorum extremitates vel parum

p) *Pinaeani Manes ſ. dilucidationes vberiores circa ſigna virginitatis.* Roſtoch. 1763. in 4.

q) *Elem. phyſiol. T. VII. p. 91. ſeq.*

r) *Parthenologia ſ. virginitatis conſideratio.* Dresd. et Lipſ. 1729. p. 296 ſq.

parum vel multum diſtant: Mox ampliore, mox anguſtiore hiatu perforatur, nec niſi rariſſimis modo in caſibus, nullo foramine inſtructa viſa eſt *s*). Eſt duplicatura, quam facit interior tunica vaginae et ea cuticula, quae a labiis pudendorum intrat in vaginam; cum eadem cutis continuatione et vaſorum ſanguiferorum et neruorum vaginalium propagines, hymenis dilacerationem cruentam et dolentem reddentes, in hanc pelliculam diſtribuuntur. Succedunt eius in locum ita dictae carunculae myrtiformes, procul dubio fruſtulatim dilacerati vel infortunio, vel congreſſu, vel partu hymenis, nunquam enim in lectionibus anatomicis cum hymene ſimul illas carunculas vidi: et licet earum ſaepe craſſities et magnitudo, reliquiis hymenis minime reſpondere videtur, repetitae in libidinoſis et laſcivis feminis frictioni id adſcribendum erit.

§. 6.

Quae huc vsque recenſita eſt genitalium et hymenis conditio, tantam patitur a partu mutationem, vt non adeo difficilis eſſe labor videatur, eorum ſtatum vel a virgineo, vel a menſtruato dignoſcere. Lunare tributum ob particularem plethoram vtero tunc temporis familiarem, totam genitalium compagem pluribus humoribus turgidam reddit; mollior itaque ſpongioſiorque harum partium textura, diuitem liquorum cum ſanguineorum tum mucoſorum ſiſtit ſcaturiginem, laxior inde fit, ſi ſuperſtes eſt, hymen,

s) FRANC. IOS. BAL TH. GOERING *diſſ. de Hymene.* Argent. 1763. in tabula adiecta

hymen, amplior videtur eſſe vaginae canalis, cedunt facile vaginae plicae, et ſumma partium lubricitas alienatam genitalium naturam oſtendit.

§. 7.

Memorabilior autem longe, et tam viſu quam tactu magis conſpicua eſt illa ſexus ſequioris conditio, quae partus tempore obuenit, ſecumque coniunctam habet virginitatis plenariam abolitionem, in quem omnino ſtatum menſium prouentus tranſitum facit.

Grauiditatis incommoda genitalia muliebria iam e longinquo ad hanc mutationem praeparant, et quodammodo diſponunt: Larga humorum vteri copia genitalibus reliquis ſimilem et ſoli grauiditati proprium madorem impertit, non niſi ſero poſt partum ſenſim diminutum: Omnium itaque harum partium inconſueta humiditas et turgeſcentia aliquam ſuae cauſae notam adminiſtrat. Increſcens vteri ſegmentum inferius, accretae huic parti vaginae ſimilem expanſionem et dilatationem communicat, vltimis geſtationis hebdomadibus, et paullo poſt partum facile diſtinguendam. Tranſitus vero totius infantis perfecti per vaginam, cuius minimum volumen, reſpectu anguſtiae canalis vaginalis et ſinus externi inſignem ſemper habet rationem, non poteſt, quin illam talem in modum diducat, qualem dilatationem naturalis harum partium elater vix et non niſi longo poſt partum tempore reſtituere valet. Diſtenduntur inde et obliterantur parietum vaginalium prominentes colliculi, explanantur quaſi columnae, relaxantur et eliminantur reſiduae a coitu hymenis laciniae, ra-

riſſimos

riſſimos enim bene negligere poſſumus caſus, ſi feminae dantur, quae cum hymene integro qualemcunque immaturum in lucem ediderunt partum. Deducitur perinaeum et cum eodem plerumque ſimul ita extenuatur fraenulum, vt diu poſt eius veſtigia denuo in conſpectum veniant. His tandem phaenomenis ſuperueniens lochiorum fluxus mox examinandus, peractum breui ante partum luculenter declarat.



Sectio II.

DE STATV MAMMARVM ET ORIFICII VTERINI.

§. 8.

Altera ſignorum claſſis, quibus vel grauiditas, vel partus recenter enixus, ſecurius declaratur, cum mammarum tum orificii vterini tactu dignoſcendi mutationes complectitur, ſeorſim nunc exponendus.

§. 9.

Impenetrabilis ſemper manebit nexus, quem mammae muliebres in foemina nubili cum vtero ſeruant, quemque tam erumpentibus menſtruorum ſcaturiginibus, quam iisdem denuo exareſcentibus, et praecipue grauiditatis tempore deprehendemus. Viſcerum analoga tantiſper ſtructura, mamariorum vaſorum cum epigaſtricis et vterinis non mediocris anaſtomoſis, mutua ſimilium functionum in conſeruandis animalibus conſpirans induſtria,

et tot aliae conuenientes rationes aliquam quidem in his tenebris lucem accendunt, non omnem tamen obſcuritatem remouent *t*). Arridet nobis in hac ſententiarum incertitudine Exc. WRISBERGII ſuper hoc argumento differentis opinio breuiſſimis verbis communicanda; vniuerſalem corporis humani plethoram, quae conceptionem inſeparabiliter inſequitur, quaeque ſpecialem ſuum effectum in vtero praecipue exſerit, etiam aliis organis, ad ſecernendos humores, idoneis eandem facultatem impertire, nouas humorum ſcaturigines aperire, vbi antea, vti in mammis, nullae fuere, in aliis easdem augere et copioſiores fundere, ſi ad perpetuas ſecretiones iam ſemel diſpoſita viſcera fuerint. Confirmare hanc hypotheſin videntur, mammarum incrementum et cum eodem coniuncta ſaepius humoris aquoſi ſecretio, ſi menſtruus fluxus in puella incipit: auctum glandulae in mammis corpus, ſi foemina a foecundo congreſſu conceperit: prorumpens ſerum poſt ſextum ſeptimumue grauiditatis menſem: ſimilia ſymptomata ſi feminae ex aliis cauſis plethoricae ſunt et q. s. a.

§. 10.

Quaecunque igitur inexplicabilis huius harmoniae cauſa fuerit, mammae durante grauiditate, peracto partu, et non ita multo poſt, praecipue ſi femina nihil de viraginum habitu poſſederit, talem conditionem induunt, cui nihil, exceptis rariſſimis exemplis, ſimile obſeruatur. Grandeſcit totum mammarum volumen et verſus axillas praecipue notabiliter creſcit. Augetur glan-

t) Cel. GEORGII ADOLPHI BOEHMERI eleg. Diſſ. de conſenſu vteri cum mammis cauſa lactis dubia. Lipſ. 1750.

glandularum mammalium tota compages, quasi nouorum acinorum cohortes ad priores accessissent. Venarum canales ampliores fiunt, plus sanguinis vehunt et eam ob causam saturatiore colore per turgidam tensamque cutem translucent: Cutis conspicuo nitore in ipsis brunis pollet et singulari madore lubrica redditur: Areola vltra reliqui mammae corporis superficiem attollitur, eriguntur eiusdem tubercula et papilla sensim propullulat: Prosilit sua sponte aut leui saltem adhibita pressione aquula ab initio limpidissima, in progressu sensim turbidior lactique vero similior, quo partus terminus propior fuerit, donec idem liquor, elapsis duobus vel ad minimum tribus a partu diebus, relicta omni aquosa natura in sincerum lac abierit. Aequalis per totam mammam sanam, nullis vulnusculis, scirrhis, cicatricibus aliisque obsessam vitiis, diffusa haec lactis secretio, salubriter continuat, si prudens salutique cum suae tum infantis obtemperans mater proli mammam offert; indurationes vero, inflammationes, pulsationes, dolorificae tensiones, tubera, abscessus aliaque insequuntur, si mater debitam hanc curam negligit et peruerse omittit vel venustati, vel commodiori vitae generi nimis studens, vel dum, quod ad nostrum thema praecipue pertinet, malitiosa mater suam prolem vel necat vel suae sorti relinquit.

§. 11.

Minime nos fugit, pluribus exceptionibus obnoxium esse, hoc ex mammarum enarrato habitu pro determinando et confirmando partu recens enixo, desumtum si-

 gnum.

   

gnum. Nullum etiam dubium eſt, quin multae feminae ex aliis cauſis, vt menſtruorum inordinato fluxu, et menſibus ceſſantibus, aut propter polypos aliaque corpora in matrice creſcentia vnum alterumue ſymptoma pati poſſint; interim tamen, cum 1) nulla alia cauſa, quam quae tantum ad vterum humorum affluxum producit, vt conceptus, hanc mammarum mutationem efficiat, 2) hoc mammarum ſignum in tota ſymptomatum ſerie modo probet et 3) in ſodalitio aliorum ſignorum eo tantum vti velimus, ſuo robore et valore non deſtitutum eſſe, cum ſumma certitudine aſſerere nos poſſe putamus. Longo poſt partum tempore eidem ſigno fidere non debemus, cum exareſcentes lactis olim ſecreti rivuli poſt octavum ſaepe vel decimum duodecimumue diem priorem mammarum integritatem reſtituere ſolent. Fallere equidem fraudulenter aſtutae feminae medicos iudicesque poſſent, dum repetitis mammarum ſuctionibus vel inſtrumenti ope ſibi ipſius praeſtitis, vel artificiali preſſione peractis, lac exprimerent, quo facta exploratione nil emulgere amplius queant; noua tamen lactis reparatio, poſt breuem moram ſuccedens in femina bene cuſtodita, malam facile detegere poterit fraudem.

§. 12.

Inter partes genitales ſequioris ſexus, quae grauiditatis partusque tempore mutantur, primarium fere locum occupat vterus, cuius ſingulare per nouem geſtationis menſes incrementum, et ſubitaneum intra paucos poſt partum dies decrementum, omnem ſane fidem ſuperat, atque exſpectationem. De mutatione

hac

hac memorabili cum viſu tum tactu certi ſumus, totum vero vteri volumen cum nobis non explorare niſi per abdominis integumenta liceat, vnice in diſquirenda ea parte ſubſiſtere debemus, ad quam digitus explorans peruenire poteſt. Segmenti itaque vteri inferioris et mediae in eodem aperturae, quam *orificium vteri* appellant, mutationes a partu pendentes, nunc paucis contemplaturi ſumus, quales Cel. WRISBERGII Praeceptoris ſinceriſſimi manuductione, cum in noſocomio, tum in vrbana praxi obſeruauimus.

§. 13.

Illa igitur ceruicis vterinae pars, quae infra vaginae ad vterum accretionem in eiusdem canalem propendet, ſingularem medici obſtetricii curam et attentionem expoſcit. Prominula et duriuſcula eius in ſtatu non grauido natura, primis geſtationis menſibus aeque quam ſub menſtrui ſanguinis profuſione parumper emollitur, rima eiusdem pauxillum aperitur et hiat, colliculus vero dimidium circiter globum referens a menſtruis minus, ſaltem rarius, a conceptione vero certius mutatur, planior redditur, labia melius diducuntur, duriuscula caro mollitur, complanatur, extenuatur, et tactui tandem ſeſe quaſi ſubducit. Imperceptibili gradu, et modo fere inenarrabili huius partis et rimae in eadem comprehenſae transformationes contingunt, vt difficile omnino ſit, diuerſam huius coni conditionem in quolibet grauiditatis menſe in tanta feminarum diuerſitate enarrare *u*).

§. 14.

u) CHRIST. FRIED. MICHAELIS diſſ. de orificii vteri cura clinica atque forenſi. Lipſ. 1757.



§. 14.

Grauiditate ad finem vergente, quidquid adhuc de conica figura in fegmento hoc vteri inferiore fupererat, deletum eft. Aequalem fentit digitus explorans tumorem magnum globofum duriufculum a capite foetus orificio vteri innitente aut a clunibus; extenuata cervix mollem carnem infantis parti praeuiae praetenfam reprefentat, per quam faepe dignofcere valet expertus explorator, quae praeuia pars fuerit; verfus orificium vteri fenfim tenuior et magis membranacea fit, et in acutiufculam oram marginem orificii vterini conftituentem terminatur: omne rugofum difparuit, leuis et politus margo tangitur, orificiumque ipfum nullam amplius aliam mutationem patitur, quam vt eo fenfim magis aperiatur et diducatur *x*), quo propius partus momentum accedit, et quo profundius pars infantis praeuia fubfidet et a doloribus detruditur. Hoc tempore, quo caput infantis peluis cauitatem ingreditur, et fucceffiue per aperturam peluis inferiorem emergit, corpufculumque foetus fequitur, nullum fere orificium vteri adeffe videtur, vteri cauum, ceruicis canalis, et vagina vnum idemque receptaculum formant; loco priftini fegmenti vteri inferioris, zona quaedam carnofa fupereft media inter vaginam et vteri partem fuperiorem, cuius naturam et conditionem digitus explorare propter infantem in canale vteri et vaginae haerentem nequit.

§. 15.

x) ROBERT WALLACE IOHNSON's new fyftem of midwifery. London 1769. 4. p. 188.

§. 15.

Vix totus infans genitalium ſinum egreſſus eſt, cum in orificio et ſegmento vteri dicto, noua mutatio contingit, quam ſecundinarum excluſio vel plane non, vel tantillum modo alterat. Validae vteri omniumque eiusque partium contractiones, ſublata poſt partum infantis reſiſtentia, maiore iam vigore agere continuant, eadem lex a prouida natura et ſegmento et orificio vteri imperti-ta eſt. Relaxatae itaque et ad ſummum diſtentae ſegmenti fibrae orificium ſenſim coarctant, margines craſſiores et tumidiores faciunt, cum profundis ſulcis rugisque, fiſſuris quaſi aemulantibus eosdem notant, tantaque ſaepe celeritate enarrata haec phaenomena contingunt, vt vna vel altera a partu hora orificium vteri iam ita conſtrictum ſit, vt placenta, niſi maturius excreta fuerit, quadam cum difficultate eliminetur, et aliquot digiti vix adigi queant: Dilatabilitatem vero ſeruat, qua ad expellendas ſecundinas, aut cruoris lochialis maiores thrombos, doloribus poſt partum cedit.

§. 16.

Lentius per ſequentes puerperii horas, dies, ſeptimanas haec in priorem ſtatum orificii vterini conſtrictio continuat, et per ſimiles gradus vix perceptibiles ſenſim naturalem ſuam globoſitatem, duritiem. conicam figuram et altitudinem reſumit, priſtina orificii rima reſtituitur, et niſi in labiorum ratione, aut in rima, fiſſuris nonnunquam notata, aliquid diuerſi inuenires, vix crederes eiusmodi feminam olim peperiſſe.

   

§. 17.

Cum ſymptomata recenſitarum orificii vterini mutationum ſolius geſtationis et partus enixi effectus ſint, nec vlla fraude ſimile quid fingi aut affectari poſſit, patet inter omnia partus enixi ſigna, ad orificii vterini conditionem praecipue attendendum eidemque prae reliquis quam maxime fidendum eſſe. Ponamus enim molam, conceptum veſicularem, polypum, ſanguinem concretum, vteri contractionibus partui aemulis excerni, indeque orificii vterini naturam affici mutarique poſſe, id tamen huius ſigni valorem pariter non infringet, cum partim ipſa haec mutatio, prioribus phaenomenis minime ſit reſponſura, partim ex aliis indiciis vel praeſentis vel abſentis graviditatis, ſuſpicio clara futura ſit atque manifeſta.

§. 18.

Alia autem cautela opus eſt, vt hoc ſigno tanto maiore cum fructu vti poſſimus. In omni grauiditatis ſtadio, impii ſeleratique homines in propriam prolem ſaeuire poſſunt, criteria itaque cum partus maturi et perfecti, tum immaturi et abortiui ſecundum legislatoris ſententiam a medico eruenda ſunt. Diuerſae grauiditatis periodi cum diuerſo embryonis volumine et varia vteri conſtitutione pari paſſu ambulant, fine quinti menſis foetus illam nondum nactus eſt magnitudinem, quam verſus noni menſis finem habere ſolet, et ſegmenti vteri inferioris ſub mediam grauiditatem talem non deprehendimus extenuationem, qualem inſtante partu animaduertimus. Creſcente foetu auctum eiusdem

volumen

volumen, ampliorem portam requirit, ad minorem iuniorem teneriore mque embryonem transmittendum, tanta iam oris vterini apertura, ſegmentique inferioris extenuatione non opus eſt, quae vero reſiſtentia, in partubus abortiuis ſaepe periculoſiſſimam moram inuoluit, tenerrimosque embryonum artus mirum in modum comprimit atque diſtorquet. Facile quilibet, niſi plane rudis tiro in arte ſit, applicationem ad quemcunque indiuidualem caſum facere valebit.



Sectio III.

DE FLVXV PVERPERII LOCHIALI.

§. 19.

Continuant vteri poſt partum contractiones ſimili, quin ſaepe moleſtiori ſenſatione ſtipatae, quas dolores poſt partum appellant. Vterus inde ſenſim in priſtinum ſtatum reducitur, donec cum mole tum figura virgineo fere ſimilis redditus fuerit. Cum eadem conſtrictione, ſanguinea quaedam puerperii excretio coniuncta eſt, quae, cum, exceptis modo rariſſimis caſibus, puerperium ſine eiusmodi fluxu, quem *lochia* nominare conſueuerunt, cogitari nequeat, inter praecipua partus in lucem editi criteria merito reponenda eſt.

§. 20.

Inuolucris foetuum in vteris viuiparorum animalium hospitantium talis cum matrice intercedit nexus, qui cum nutritioni et incremento embryonum, tum necessariae post partum secundinarum separationi et exclusioni inseruire commode possit. Scopo id repugnat nostro, nunc lites de connexionis modo componere, quae ab antiquissimis inde artis medicae temporibus ad nostra tempora ventilatae sunt. Multae saltem sunt rationes, quae nos retinent, quo minus dilectam anastomoseos vasorum vteri et placentae hypothesin amplecti possimus; argumenta vero, cur praeeunte Cel. Praeceptore, totum nutritionis foetuum negotium resorptionis legibus in contextu celluloso vterum inter et ovum haerente probabiliter adscribamus, ab ipso auctore suo tempore vberius cum publico communicabuntur *y*).

§. 21.

y) Obtulit EXCELL. WRISBERGIVS et commendauit expositionem huius litis cuidam suorum auditorum, erudito et docto viro D. BALTHASAR, Sueco-pomerano, dum obseruationum experimentorumque quibus sua sententia nititur historiam *aduersariis suis academicis*, propediem in lucem prodituris, reseruaret. Iam diu frustra Clar. huius viri inauguralis Dissertationis publicationem exspectauimus; optamus vero, nec consilii mutatione nec morbo Clar. Balthasarum ab elaboratione elegantissimi huius thematis impeditum esse. Argumenti tandem dignitatem intelligenti mihi ac simul existimanti, a re nostra minime alienum esse, primaria nostri dissensus argumenta recensendi, pace CEL. WRISBERGII notae huic ex annotatis meis collegii physiologici ea sine omni eruditionis fuco inserere licebit, quae Exc. Praeceptor de hac connexione in praelectionibus commentatus est.

"Inui-

§. 21.

In quolibet geſtationis ſtadio, quolibet die fere et menſe ſeparationem oui ab vtero, ſiue particularis ſiue vniuerſalis fuerit,

" Inuitus cogor a recepta fere communi anaſtomoſeos et nutritionis foetus per ſanguinis ex vaſis arterioſis matris in venoſa placentae transfuſionem, ſententia recedere, et acerbo afficior dolore, cum ſummorum virorum teſtimoniis argumentisque me vbique renitentem ſentiam. Sunt vero duae rationum claſſes probe a ſe inuicem ſeparandae, quarum prior dubia contra anaſtomoſin receptam, altera animaduerſiones quasdam ſuper argumenta anaſtomoſin probantia comprehendit.

1) Quoad primam claſſem id mihi ſumma ſemper attentione dignum viſum fuit, *a*) me feliciſſimis iniectionibus in vteris hominum ſemel, pluries in equorum, vaccarum, caprarum et cuniculorum, in caninis, felinis, ſuillis, quorum ſpecimina partim coram intuemini, ne tantillum ſubtiliſſimae materiei, nec ex vaſis vteri in placentam, nec ex funiculi vaſis in vterum transuehere potuiſſe; aliud nunquam obtinere potui, quam vt contextum celluloſum chorii fungoſi, aut eiusdem minima vaſa replerem. In humanis vteris idem pluries repetendi occaſionem mihi non fuiſſe, id quam maxime doleo.

b) Quotiescunque in vteris brutorum durante grauiditate mortuorum poſt diuerſum a morte tempus, (nam fatendum eſt, viuente adhuc animali me id nunquam inſtituiſſe), ouum ab vtero ſoluebam, ſemper liquorem lacti ſimilem inueni, nunquam ſanguinem.

c) Anaſtomoſis tantae magnitudinis et dignitatis, cuius ſolutio tanta ſanguinis profuſione ſaepius comitatur, non minimis oculoque plane inuiſibilibus vaſis perfici et ſuſtineri debet, nullibi vero rami disrupti nec mediocris quidem magnitudinis cum in placenta, tum in vteri ſuperficie interna comparent.

d) Recentiſſimas hominum et variorum brutorum ſecundinas, materia admodum idonea, imo mercurio currente immediate poſt partum aliquoties repleui, nunquam vero talem iniectae materiei profuſionem obſeruaui, qualem ruptis anaſtomoſium vaſculis obſeruare debuiſſem,

   

rit, aut praecedit, aut comitatur, aut ſubſequitur vel grauius vel mitius ſanguinis profluuium. Si id ante excluſionem embryonis

buiſſem, aut plane nihil, aut minimi mercurii globuli prodierunt, qui facillime per vaſcula penetrant, liquores ſanguine longe ſubtiliores comprehendentia.

e) Cur auium pulli verum ſanguinem generant, licet a matre ne guttulam quidem per talem anaſtomoſin accipiant?

2) Ex altera parte meae ſententiae nouum probabilitatis robur affertur, cum validiſſimis anaſtomoſeos argumentis inter quae et grauiſſima ſunt, dubia nec leuioris ponderis repugnent; quorum nonnulla nunc vobiscum communicaturus ſum, *a*) *Fluxus menſtruus durante grauiditate ceſſat.* Verum eſt omnino, in plurimis feminis non ita multo poſt factam conceptionem, menſtruum ſanguinem retineri, non eadem vero cum veritate inde concludere poſſumus, has 8. 10. 16. vncias ſanguinis, quae qualibet menſtruorum periodo circiter excernuntur, per vaſorum anaſtomoſin ad nutriendum foetum impendi, et in primo geſtationis menſe conſumi. Nam 1) inter omnia animalia viuipara, humano generi, quantum ſaltem conſtat, quod vix vigeſimam animalium partem conſtituit, a natura haec periodica excretio conceſſa eſt, plures vero integri populi eodem fluxu carent, et ſi non carent, multa tamen indiuidua eundem nunquam experiuntur, quodſi igitur vix centeſima animalium pars ad ſuſtinendum et patiendum tributum lunare diſpoſita eſt, ſanguis menſtruus in maximo animalium cenſu ad nutriendum foetum abſolute neceſſarius non eſt. 2) Multae dantur feminae, quae per integros 9, geſtationis menſes menſtrua ſua regulariter fundunt. 3) Pariter aliae inueniuntur, quae durante grauiditate menſes ſolum patiuntur, et iisdem denuo carent, ſi pepererunt. 4) In exilem embryonis primi ſecundiue menſis maſſam, quae vna cum ſecundinis vix vnciae dimidiae pondus attingit, 12. 16. quin 20 unciae ſanguinis minime impendi probabiliter poſſunt et ſanguinis circulum per eundem abſoluere.

b) *Graues poſt ſolutionem placentae humanae, et tanto ſaepe periculo ſtipatae haemorrhagiae* non leuem inuoluunt anaſtomoſeos ſuſpicionem,

bryonis ſit, aut cum eodem in lucem prodeunte coniunctum eſt, *haemorrhagiam vteri* contingere dicimus; ſi poſt enixum idem ſuccedat,

nem, cuius nexus cum placentae ſeparatione tollitur. Obiiciunt huic argumento, quod 1) ſanguinis profluuium non in omnibus vno eodemque vigore contingat, et ab aliquot libris ad paucas vncias imo drachmas deſcendat: 2) idemque eo ſit mitius, quo blandior, eo grauius, quo rudior placentae ſeparatio fuerit, et in largiſſimis profuſionibus plerumque vterus plus minusue laeſus ſit: 3) viderim, abortus 2. $2\frac{1}{2}$. 3. menſium parciſſima haemorrhagia ſtipatos, duarum praecipuae recordor obſeruationum, in quibus vix vncia ſanguinis effuſa eſt: 4) et quod in brutorum partu fere nunquam tales profuſiones largae contingant, et ſi aliquid poſt partum profuſum ſit, illud profluuium non diu duret.

c) Graue ſane argumentum eſſet, me facile in anaſtomoſeos doctrinam ducturum, ſi cum meis obſeruationibus id vllo conciliare modo poſſem: dicunt enim, *Foetus magna ſui ſanguinis parte priuari, ſi matres ex haemorrhagia lethali perierint:* Vidi vero 1) foetum humanum, cuius mater 7° geſtationis menſe ſclopeto extinguebatur, et quae maximam ſanguinis effuſionem experta erat, nec in corde, nec in maioribus vaſis vllo cruoris defectu laboraſſe, imo ne in ipſa quidem placenta vaſorum vacuitas obſeruari poterat: 2) Dedita opera grauidos canes feleſque partui proximos apertis carotidibus interfeci, vteros vaccarum mactatarum, equarum ampliſſimo cordis vulnere trucidatarum, quarum vero nec oua, nec foetus vllum ſanguinis defectum oſtenderunt.

d) *Matres ex reſciſſo nec deligato fune lethales haemorrhagias pati poſſe*, nec cum meis, nec cum Roedereri obſeruationibus conuenit, et nemo hodie de deligando fune verſus placentam amplius cogitat.

e) *Sinus venoſi in vtero ita dicti* praeter ſubſtantiam chorii fungoſi celluloſam plane nihil probare videntur. Tales ita appellatos ſinus in vtero vidi, ſi maxima chorii fungoſi pars cum vtero cohaerens manſit, in placenta, ſi cum ea connexa manſit. Sanguis ibidem haerens, continuationem vaſorum non abſolute demonſtrat, oſtenſtit

   

cedat, primis tribus quatuor vel ſex horis *haemorrhagiae vteri poſt partum nomen* adhuc retinet, in toto vero ſubſequente puerperii decurſu *fluxus lochiorum* vel *lochialis*, imo *purgationis puerperii* appellationem ſortitur.

§. 22.

Nullo ſubiectum eſt dubio in naturali ſtatu, ſi nihil in vtero disruptum aut alia ratione laeſum eſt, ex minimis vaſorum vteri extremitatibus, quae menſtruorum ſub fluxu menſes fuderant, eandem cum haemorrhagiae vterinae, tum lochiorum profuſionem contingere. Ab initio cum maior ſanguinis quantitas ad libram et vltra effunditur, procul dubio ſanguinis maxima copia in contextu celluſo chorii fungoſi congeſta profluit; dum vero parcior ſanguis ſecerni et effundi incipit, idem officium ſola vaſa vteri praeſtant; in illa tandem proportione lochiorum materiam tam colore quam quantitate mutant, qua cum vterus ipſe conſtringitur, et in minorem molem redit, tum vaſa ſenſim in lumine

ne

dit modo, penum quandam parari, ex qua vaſa reſorbentia placentae ſuam nutriendi materiam haurire poſſint, cuius reſidua pars a venis vteri reſumitur, et ſanguini denuo admiſcetur. Nonne ſimile quid in aliis ſpongioſis partibus contingit?

f) *Exemplis foetuum corde vero deſtitutorum*, quorum ſanguinis circulus ergo a ſola matre pendere debuit, et quorum veritatem ego in dubium vocare minime audeo, totidem alias ſimilis monſtroſae fabricae in auibus obſeruationes opponere poſſum. Videtis, Auditores optimi, candide me rationes cum dubitandi tum decidendi propoſuiſſe, veſtrum erit proprio iudicio vti, ſine partium ſtudio vtramque ſententiam trutinare, eamque eligere, in qua plus probabilitatis inueneritis. Principes itaque auctores conſulendi ſunt etc.

ne ſuo coarctata nil niſi tenuiorem ſanguinis partem, et denique nihil magis transmittunt. Admiſcetur huic ſanguini ex vtero prouenienti, notabilis quantitas humorum mucoſorum, quibus lochiorum indoles inſigniter mutatur, prouti haec muci copia in diuerſis feminis pariter diuerſa eſt.

§. 23.

In partu perfecto et naturali ſequentem ſanguinei huius profluvii tramitem obſeruamus: Quodſi natura ad partum breui inſtantem omnia iam diſpoſuit, validiores vteri contractiones, vnam alteramue velamentorum partem, quin placentae particulam ab vtero ſoluunt, exiguumque ſanguinis ſtillicidium excitant, quod mucum, digitum explorantem maculans, colore plus minusue rubro imbuit: *Signa*, die Kennzeichen hunc rubrum mucum appellant, cum partum breui futurum ſignificare exiſtiment autores. Egreſſa iam magna infantis corpuſculi parte, et in cauo pelvis comparente, arctior conſtrictio vteri in plerisque caſibus placentae ab vtero ſeparationem incipit, plures contextus fungoſi chorii cellulas, quas ſinus vulgo nuncupare ſolent, aperit et paullo maius ſanguinis ſtillicidium cauſatur, quo infans ipſe ſaepe tingitur, ſi iuſto longiorem in genitalibus moram fecerit.

§. 24.

Sequitur nunc excuſſum totum infantem validior vteri, ſublata eiusdem reſiſtentia, contractio, ſemper, niſi inſolitus placentae nexus adfuerit, iecoris vterini ſeparationem continuans et

D perfi-

perficiens: ſenſim pedetentimque haemorrhagia largior ea in proportione fit, qua plures placentae cotyledones ab vtero ſoluti ſunt, exigui rivuli inſtar ex genitalibus ſincerus purusque ſanguis fluit et per 1. 1½. quin 2. horas interdum, amne mox minore, mox largiore continuat, donec tandem contracto aliquantisper vteri volumine, expreſſoque plurimo in contextu celluloſo antea haerente ſanguine, haemorrhagia fluere deſinit, et per aliquod tempus vel plane nihil vel parum profunditur. Elapſis aliquot horis enatae nouae vteri contractiones, collectos in vtero humores denuo expellunt, qui iam aliquam mutationem paſſi ſunt, colore quidem et natura ſanguinem concretum in fruſtula plus minusue cohaerentia collectum ſiſtunt, aſt illum recentem ſincerum purpureum ſanguinem non amplius comprehendunt, dum multum muci, liquorisque ex vaſis vterinis conſtrictis gelatinoſi et exhalabilis eidem iam admixtum ſit. Horum humorum lubricitas reliquias chorii fungoſi, ſiue contextus illius celluloſi, qui geſtationis tempore vinculum inter vterum et velamenta fuerat, quem nonnulli membranam vteri caducam nuncupant, ſenſim emollit, in lacinias mox maiores minoresue mutat, easdemque deglubit et expellit, et ſic pariter lochiorum maſſam inſigniter auget.

§. 25.

De hora in horam, de die in diem nunc lochiorum profluvium et quantitate et colore et conſiſtentia mutatur, in quam naturalem mutationem mammae inſignem ſane habent influxum.

Ab

Ab illo enim momento, quo mammae veri lactis vberiorem secretionem moliuntur, cum febris lacteae accessus vel sentitur vel ea iam ad finem vergit, sanguinis maior copia ab vtero versus mammas deriuatur, lochiorum prouentus notabiliter minuitur, et per talem lochiorum cum rubrorum, tum alborum imminutam seriem vsque ad plenariam eorundem cessationem, fontes versus tertiam circiter puerperii septimanam exsiccantur.

§. 26.

Ex intermissa infantis in propriis vberibus lactatione, impeditoque igitur mammarum officio, lochiorum fluxus in feminis non lactantibus alium tramitem sequitur. Cum tertio circiter die vel quarto congestum in mammis lac, nec vel suctione infantis, vel instrumenti ope emulsum, partim sua sponte effluit, partim aucta per vniuersum corpus transspiratione dissipatur, partim accedente naturali discussione in sanguinem resumitur, partim, quod peiori omine fit in mammis indurescit, donec tandem per varios modos vel in suppurationem et abscessus abeat, vel aliorsum deriuetur, et in dissitis saepe locis erumpat. In plerisque his casibus noua versus vterum sanguinis congestio contingit, lochiorum profusio largior fit, in veros thrombos sanguis colligitur purissimo cruori immixtos; quae excretio, si absque haemorrhagiae periculo naturaliter procedit, mammarum symptomata citius minuit et leuat. Per varia nunc interualla lochialis materiei color versus quintum sextum septimumue diem denuo mutatur, prouti quantitas humoris decrescit, tandem incerto die, plerum-

que tamen cum fine tertiae hebdomadis, ſub excretione tenuioris cuiusdam humoris lochiorum profluuium ceſſat. Pro varia feminarum ſorte, conditione, vitae genere odor peculiaris puerperii vel grauior vel mitior ſentitur, ex ſudore, et exhalationibus humorum genitalium in putredinem vergentibus, mixtus, ſed quo magis puritatis et linteaminum renouationis ſtudioſi eſſe poterimus, eo minus illarum exhalationum moleſtias percipiemus, licet plane tolli atque auferri nequeant.

§. 27.

Nil frequentius in arte obſtetricia et medicina forenſi occurrit, quam lochialis huius profuſionis et menſtruorum periodicae excretionis commixtio et confuſio, qua iudices medicique ſaepe decipiuntur, neſcientes, an ſuſpectam quandam feminam, in qua ex genitalibus ſtillicidium eiusmodi ſanguinolentum notatur, pro puerpera vel pro menſtruata habeant nec ne. Iterum ad diiudicandam hanc differentiam ſimpliciter ad tramitem vnius alteriusue purgationis, et ad genitalium conditionem attendendum erit, quae inter ſe collata deſideratam mox euincent veritatem.

§. 28.

Vltima tandem in habitu corporis externo a grauiditate et partu oborta mutatio, cutis externae in mammis et abdomine conditionem concernit. Diſtenta enim cutis cum ab aucto glandulae et vaſorum mammalium volumine, tum ab vteri magna mole, abſoluto partu, et exſiccatis mammis denuo contrahitur,

et

et priſtinum laeuitatis ſtatum obtinere annititur, quamuis perfecte eundem nunquam adſequatur. Summus nempe diſtentionis gradus, licet vim cutis contractilem ad ſummum auxerit, rugoſitatis laxitatisque notas vbique relinquit, praecipue vero epidermidi talis mutatio contingit, vt ſtriae, lineolae et fiſſurae quaſi in eadem appareant, per quas inſtar retis cuiusdam obſcurior quidam color pellucentium fere vaſorum, a quibus tamen non pendet, translucet. In mammarum diſco circulariter aequalem ab areola diſtantiam ſeruant, in abdomine praeter duas magnas columnas hinc inde irregulariter diſperſae ſunt. Indicant has partes olim diſtentas fuiſſe, a grauiditate et partu prouenire minime probant, quare, cum plures aliae cauſae ſimilem cutis expanſionem efficere poſſint, determinando partui recenter enixo plane inſeruire nequeunt, quodſi vero eaedem notae cum aliis probabilibus partus ante longum iam tempus peracti ſignis comparari et coniungi poſſunt, ex alio capite medico forenſi vtiles eſſe ſolent, cum ad vitae genus feminae ſuſpectae ante actum arguendum et diiudicandum viam pandant et aperiant.



Sectio IV.

SISTENS CONCLVSIONES EX PRAECEDENTIBVS.

§. 29.

Referuauimus ad hanc dissertationis nostrae sectionem eas cautelas et argumenta, quae ad securam signorum partus recenter enixi applicationem practicam spectant, quorumue neglectu partim fraudulentis astutarum feminarum deceptionibus, partim causidicorum exprobrationibus exceptionibusque ansam praebere possumus. Paucis vero corollariis has animaduersiunculas comprehendemus.

1mo) Inter omnia enarrata signa fere nullum tanto robore pollens atque instructum esse putamus, quod absque concursu alius cuiusdam vel affirmatiue vel negatiue veritatem euincere solum possit, nisi *orificii vterini* conditionem excipere velimus; semper conscii esse debemus axiomatis, *quodlibet signum in sodalitio aliorum probandi facultatem possidet, et quo plura signa simul concurrunt, eo maior probabilitas adest, quo pauciora, eo minor.* Nec lactis in mammis praesentia sola, nec sanguinis e genitalibus stillicidium per se partum mox in lucem editum esse, declarant, si vero vtrumque in eadem femina notatur, probabilis admodum in eiusmodi feminam cadit suspicio, et nullum ea de re dubium

bium remanet, ſi genitalium et orificii vterini conditio acceſſerit.

2do) Quodlibet ſignum ſuis gradibus et mutationum ſeriebus obnoxium eſt, eo maior itaque conuincendi poteſtas ſigno competit, ſi in perfectiſſimo gradu eodem vti licet: Cum vero omnia ſigna circa ipſum partus tempus maximum perfectionis gradum poſſideant et ſenſim in priſtinum ſtatum redeant, nouum inde axioma exſurgit: *eo plus probabilitatis et veritatis ſigna afferunt, quo breuius a partus articulo tempus elapſum eſt, eo ſenſim minus probare poſſunt, quo ſerius a partu diſquiſitio inſtituitur.* Trium dierum puerperam orificium vteri, mammarum habitus et lochiorum fluxus procul omni dubio declarabunt; omnia vero ſigna nihil poſt 4. hebdomades cum veritate ſtatuendum relinquent.

3tio) Saepe etiam requiritur, vt, ad maius robur cuidam ſigno conciliandum, ſeries quaedam mutationum obſeruetur: mammae, lochiorum fluxus, orificiumque vteri id denuo probant.

4to) Non omnium ſignorum in quolibet partus genere probando idem valor atque potentia eſt; alia enim in quolibet partu probant, vti lochia et orificium vteri: aliis, vti mammarum conditioni in immaturis et abortiuis parum fidendum erit.

5to) Ni-

  

5to) Si non omnibus ad eruendam et confirmandam veritatem vti ſignis licuerit medico forenſi, vnoque et altero contentus interdum eſſe debeat, non cunctis eadem fides habenda eſt; ſequentem igitur obſeruare poſſumus ſeriem: *orificium vteri* ſollicite et omni attentione exploratum inter reliqua ſigna minimum fallere ſinit: ſequitur *lochiorum fluxus* eiusdemque per totam ſeriem ſymptomata: *genitalium externorum et vaginae* habitus mutatus: *Mammarum lactisque phaenomena: Abdominis conditio*, fiſſurarum lineolarumque in eodem et in mammis praeſentia minimo probationis valore inſtructa ſunt.



